



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De patria eius, & profectu in studio Pragensi. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

Domine, quam abscondisti timentibus te? Sed his iam prælibatis, ad rem gestam stylus vertatur.

CAPVT IV.

De patria eius, & profectus in studio Pragensi.

1. **R**euereudus pater & deuotus Sacerdos Christi magister Florentius, vicarius fuit Ecclesiæ Dautenriensis, per prædicationem venerabilis magistri Gerardi Magni, diuina gratia opitulante conuersus. Cuius factus humilis auditor, per omnia studuit eius fieri imitator. Et salutaribus consilijs gratanter acceptis, ipsum sicut patrem charissimum & suæ salutis genitorem dilexit, ac summa cum reuerentia, vt decuit, semper & vbique honorauit. Vnde mutuo ab ipso, inter cæteros discipulos suos, amplius diligi meruit, & præ cæteris commendari, ob specialem morum suorum venustatem & modestiam, qua eminenter præditus fuit, ac religiosus refulsit.

2. Hic igitur de ciuitate Leyderdam, in terra nobilis domicelli de Erkol originem natiuitatis duxit, quæ circa fines Hollandiæ sita, tribus ferè miliaribus à Traiectensi ciuitate distat. Huius pater Radeuinus nomine, vir quidam erat inter suos fama notissimus, rebus ac facultatibus secundum status sui exigentiam decenter adornatus. Qui filio suo Florentio ad studium Pragensis pergenti, pium assentum præbuit & iuuamen. Nā tunc temporis apud Pragam Bohemiæ, studium priuilegiatum latissimè floruit, & multi de partibus inferioribus illuc expeditius pergebant. Fit cito artista bonus, qui erat ingenio clarus, & in proficiendo studiosus, taliter inter scholares, pius ad domesticos, reuerendus erga magistros. Post hæc ad patriam suam cognatosq; reuertitur, & pro magisterij gradu honorificè suscipitur.

3. Congaudent vniuersi amici cum vicinis eximie, quò diu cunda eius præsentia salubri prosperitate, post tanta terrarum spatia, & pericula, diuinitus concessa, frui ac consolari merebantur. Siquidem matura eius de Pragensi vniuersitate ac studio reuersio, grandis extitit amicorum exultatio. Sed Deo melius disponente, facta est æternæ salutis eius felix preparatio, quia non multo nec longe post tempore lapsò, factus est verus Christi discipulus de magistro. Cui etiam pius Dominus, cum de Pragensi rediret, rem latis mirandam ostendit, in qua misericordiam eius manifeste cognouit. Nam cum ad quandam profundam vallem peruenisset, sequebatur eum currus cum impetu magno de monte descendens. Quem declinare non valens, & periculum

corporis metuens, cum iam humanum deesset auxilium, confugit ad diuinum. Et inuocato omnipotente Domino, affuit gratia saluatoris immensa. Vidit namque (quod dictu mirabile est) mox vt Dominum inuocasset, currum eundem antecedere se per viam qua tendebat, & omne periculum esse sublatum. Quod factum erga se miraculosè gestum Deo totum ascripsit, qui tribulatos corde sanat, & ab omni angustia liberat ad se clamantes.

CAPVT V.

De honestate morum eius inter seculares.

1. **E**Rat autem morum honestate conspicuus, lætus inter sodales, affabilis verbis, liberalis expensis, facie venustus, statura gracilis, & mediocriter procerus. Quem Deus aliquo tempore permisit in seculo versari, & eius in lantias falsas experiri, sed non finaliter periclitari, vt nemo cõuerti volens de venia desperet, quando hunc tam citò in melius mutatum cognoscit.

2. Quodam namque tempore, inuitatus est cum multis amicis ad nuptias seculares. Cumque in itinere simul pergerent, egit aliquid pro solatio amicorum, promptissimè eis obsequendo & lætitiã exhibendo. Præcidit itaque ramos virentes de arboribus, quibus secum allatis obumbrauit in vehiculo sedentes, vt magnos inde mereretur habere fauores. Nondum enim sciebat, quid Dominus de se facturus esset, nec aduertit, quanto studio conscientiam suam interius ornare cum virginibus sanctis debuisset, vt ad cælestes nuptias dignus esset intrõmitti. Sed nec spirituales epulas in nuptijs Christi nouerat, ideo secularibus cõuiujs interesse gaudebat. Verum Deo miserante, non diu in hac vanitate permansit; sed ad magnam deuotionis gratiam, omnem mundi suauitatem superantem, felici vocatione peruenit.

3. Præfigurauit tamen istud factum seculare, aliquod bonum in eo futurum, quia ipse Dei gratia mutatus in virum spirituales, plures secum contubernales inuitaturus esset ad nuptias ciuium supernorum, vbi Sponsus immortalis Iesus Christus cum omnibus Sanctis conuiuatur in secula sæculorum. Hoc postea verissime patuit in multis fratribus, per eum deuotè conuersis, sicut etiam manifestè oculis meis conspexi, & tota Dacuentria nouit.